

indebitè impendentem bona Ecclesiastica suis usibus deputata peccare tantum per abusum, ut dixerat de Patrimonialibus. Nec teneri ad restitutionem, sed tantum ad pauperum peragendam. Relegatur textus supra cit.

Quando verò S. Th. dicit non solum quodlibet cit., sed etiam in Summa. Quæst. jam sæpe cit. 287. bonorum Ecclesiasticorum Clericos non esse dominos, sed dispensatores, non loquitur de bonis Ecclesiasticis, quæ sunt specialiter usibus Clericorum destinata, nisi velis ipsum intrâ paucas lineas pugnanti loqui, sed de bonis Ecclesiasticis, vel ut antè divisionem consideratis; vel, quod verius est, de iis quidem post divisionem, sed indistinctè & in communi, quatenus comprehendunt bona fabricæ & ea, quæ sunt principaliter attribuenda necessitatibus pauperum, & ex consequenti necessitatibus Ministrorum; sicut sunt bona Hospitalium, & alia hujusmodi. Hæc non gratis, nec ex nobis, sed formalissimè, ut vides, ex S. Th. quodlibet cit. Porro de talibus bonis Ecclesiasticis non dicimus Clericos esse dominos, sed tantum dispensatores. Vocantur autem hujusmodi bona Ecclesiastica, tum quia, ut dicit S. Th. Ex consequenti sunt attribuenda necessitatibus Ecclesiasticorum; tum quia sunt bona primitus Ecclesie, data, & per Ecclesiam usibus præfatis assignata; tum tandem quia eorum administratio est Ecclesiasticis concedita.

Eodem sensu & de iisdem bonis intelligendus est S. Th. loco, quem nobis objicit Perfector Tournelli scilicet in c. 12. Ep. 2. ad Cor. lect. 5. ubi sic habet S. Doctor: *Principes vni dederunt divitias Prelatis propter se, sed propter pauperes, & idè non dederunt eis, sed pauperibus. Prelatis autem dantur tamquam pauperum dispensatoribus. Intellige, inquam, divitias, quæ, ut ait S. Doctor, sunt principaliter destinata necessitatibus pauperum, & ex consequenti necessitatibus Ministrorum, sicut sunt bona Hospitalium, & alia hujusmodi.*

Respondet insuper præfatus Perfector Tournelli, D. Thomæ auctoritatibus a nobis laudatis S. Doctorem velle duntaxat, ubi certa pars pauperibus est assignata, Clericum nihil ex justitia illis debere, nihilominus teneri ex justitia fundatoribus debita Divinum cultum augere; neque hoc ullibi negare S. Doctorem. Sed contra. Negat disertissimè S. Th. locis cit. Clericum abutentem suis bonis Ecclesiasticis, sive per defectum, quando non tribuit pauperibus, quæ debet tribuere; sive per superabundantiam, quando ea consumit, in quæ non oportet; hoc est, quovis modo abutentem; negat, inquam, teneri ad restitutionem, & consequenter negat teneri ex justitia fundatoribus debita ex illis bonis augere cultum divinum.

Judicet nunc æquus lector, quæ vel specie veri dixerit clarissimus Pontas verbo Beneficior cas. 13. S. Th. Usque ad mortem persistit in opposita sententia, ut, inquit, patet in sua Summa, ubi clarissimè & sine ambiguitate docet eandem sententiam. Doctorem hunc Parisiensem antiquioribus & oculatissimis S. Thomæ Interpretibus longè oculatorem esse oportet; qui in eo clarissimè & sine ambiguitate viderit, cuius summi illi & oculatissimi viri Summam Anglicam diu nocturne versantes, nec umbram viderunt; imò cuius oppositum clarissimè & sine ambiguitate traditum agnoverunt.

Dico 4. Clerici strictiori jure, quàm seculares tenentur erogare superflua Ecclesiastica pauperibus, aut in usus pios ita ut mortaliter peccent, si in profanos usus impendant. Est communis. Prob. 1. ex strictissimo Ecclesie præcepto, quod ex antiquis Canonibus, qui in sol. obj. referuntur, innovat Concilium Trid. sess. 25. de Ref. Cap. his verbis: *Omnino eis (Episcopis) interdicitur, ne ex reditibus Ecclesie consanguineos familiaresque suos augere studeant, cum & Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent: sed si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuunt: eas autem non distrahant, nec dissipent illorum causa.* Quod extendit infra ad omnes Beneficiarios. Ubi notanda hæc particula, *quæ Dei sunt*, quæ significat motum hujus præcepti, cum enim hæc bona sint oblata Deo, vel potius Ecclesie, ut cedant in Dei cultum (Deus enim non potest visibiliter adiri, nec his rebus indiget) conveniens est ex ipsorum conditione, ut impendantur in usus Deo gratos, qualiter ipse Deus impenderet, si de illis ut homo disponderet; & idè præceptum Ecclesia in tales usus impendi. Quia verò Ecclesia præcipiens, aut prohibens aliquid ex motivo alicujus virtutis transfert materiam præceptam, vel prohibitam ad speciem talis virtutis: Sic v. gr. quia prohibet furtum in loco sacro ex motivo Religionis, furari in loco sacro est peccatum contra Religionem; sic iterum, quia præcipit jejunium in Quadragesima ex motivo temperantiæ, tale

jejunium pertinet ad temperantiæ, & ejus violatio est contra temperantiæ: Hinc rectè, saltè meo sensu, dicam, clericos, nedum ex obedientia Ecclesie debita, sed etiam ex virtute religionis teneri superflua impendere in usus pios, & eos, qui in usus profanos dissipant, peccare contra religionem. Si forte in hoc particulari meo sensu errem, doctior me corrigat.

Conf. probatio petita ex præcepto Ecclesie. Antè bonorum Ecclesiasticorum divisionem variis Canonibus præcipiebatur, ut portio fructuum & proventus, quæ Episcopo Clero, & Fabricæ non esset necessaria, pauperibus distribueretur, quod a temporibus Apostolorum observabatur; atqui non est verisimile, Ecclesiam, eodem semper charitatis spiritu informatam, per bonorum divisionem & Beneficiorum erectionem huic ordinationi derogatum voluisse, quia potius voluisse ei per singulos pro cuiusque facultate satisfieri. Undè, sicut Episcopi olim, cum hæc bona administrarent, tenebantur ex mente & præcepto Ecclesie superfluum dare pauperibus, sic nunc Beneficiarii, qui in hujus administrationis partem successerunt, tenentur sibi superflua dare pauperibus, aut saltè impendere in usus pios, ubi gravis necessitas succurrere pauperibus non occurrat. Et sanè improvidè egisset Ecclesia, si Ecclesiasticis, tanta bonorum copia affluentibus, strictam hanc obligationem non imposuisset, aut impositam abrogasset. Quid enim hoc esset aliud, quàm ipsis omnium malorum ansam præbere, & pia Fidelium vota defraudare?

Prob. 2. Clerici ratione gradus, quem obtinent in Ecclesia, sunt vetuli Patres & Tuores pauperum: ergo strictiori præcepto charitatis, quàm seculares, tenentur illis subvenire.

Itaque secundum nos triplici titulo tenentur Beneficiarii fructus sibi superfluos sui Beneficij impendere in sublevationem pauperum, aut in alios pios usus, 1. ex lege Ecclesie. 2. ex virtute Religionis. 3. ex præcepto Charitatis.

Solvuntur objectiones contra tertiam Conclusionem.

Obj. 1. & multa simul congeres ab auctoritate Conciliorum, SS. Pontificum, & SS. Patrum. Primò, caus. 12. q. 1. c. Res Ecclesie 16. quæ tribuitur Urbano I. dicitur: *Res Ecclesie non quasi propria, sed ut communes & dominio oblata, cum summo timore, non in alios, quàm præfatos usus sunt fideliter dispensanda.* Similiter Can. Episcopi Ibid. Item Can. 37. inter eos, qui dicuntur Apostolorum. Can. 26. Conc. Charchag. ann. 397. Can. 31. alterius Conc. Carthag. a. 398. *Episcopus rebus Ecclesie tamquam commendatis, non tamquam propriis, utatur.* Can. Quisque 19. caus. 12. q. 2. *Omnium Ecclesiasticarum rerum Episcopus habeat sollicitudinem, & dispenseat eas, tamquam Deo contemplante: non liceat autem ei defraudare quidemquam ex illis, vel cognatis propriis dare, quæ Dei sunt; quod si pauperes fuerint, ut pauperibus largiatur.* Alexander III. qui florebat sæculo 12. Cap. Fratritatem 2. Extra. de donat. l. 3. tit. 24. Parisiensi Episcopo respondet: *Fratritatem tuam credimus non latere, quod, cum Episcopus & quilibet Prelatus rerum Ecclesiasticarum sit procurator & non dominus, conditionem Ecclesie meliorem potest, facere verbè deteriorem non debet.* Huc etiam referri possunt, quæ adduximus de Conc. Trid. in probationem 4. Conclusionis. Secundo, quod SS. Patres Si Hieron. in c. 3. Isaie ait: *Rapina pauperum in domibus Sacerdotum, qui Ecclesie opes sibi thesaurizant, & in deliciis abutuntur, quæ ad sustentationem pauperum dantur, &c.* Idem ad Damas. c. 9. *Quidquid habent Clerici, pauperum est.* Aug. Ep. 50. n. 55. *Non illa nostra sunt, sed pauperum.* Idem caus. 2. q. 1. Can. Si privatum: *Proventum Ecclesiasticorum quodammodo procuratorum gerimus, non proprietatem.* Similiter Ambros. Chrysost. Greg. & alii antiquiores Patres. Inter recentiores S. Bernardus Ep. 2. ad Canon. Lugdunensem: *Quidquid præter necessarium victum & vestitum de Altari retinet, tum non est, sacrilegium est.* Similiter B. Laurentius Justin. & alii. S. Th. præter ea, quæ jam expendimus, sic habet 2. 2. q. 10. a. 1. ad 7. *Quamvis res Ecclesie sint Papæ ut Principalis dispensatoris, non tamen sunt ejus ut domini & possessoris.* Innoc. IV. cap. Cùm super Extra de causa poss. & prop. Non Prelatus, sed Christus dominum & possessionem rerum Ecclesie habet. S. Raymundus in summa l. 2. tit. 5. de Raptoribus §. 6. dicit, Clericos, qui dant bona Ecclesie turpibus personis, aut consanguineis ad eos ditandos, esse raptos, & teneri ad restitutionem. S. Antoninus 3. p. summæ. Theol. tit. 15. c. 1. §. 19. subscribit sententiæ S. Raymundi. Denique proventus Ecclesiastici passim in Jure, in Conciliis, in De-

cretis SS. Pontificum, & apud SS. Patres, tam antiquiores quam recentiores, dicuntur Res Dei, Bona Crucifisci, Patrimonialia, Alimenta pauperum, &c. ergo.

R. 1. Quæ obijciuntur ex Urbano I. caus. 12. ex Can. Apost. ex Can. Quisquis, ex Conc. Carthag., ex SS. Hieron. Aug. Ambrosio, Chrysost. & aliis sive Patribus, sive Pontificibus, sive Conciliis, qui floruerunt antè 8. sæculum, intelligenda esse de bonis Ecclesiasticis antè illorum divisionem & Beneficiorum erectionem, dum Clerici viverent adhuc in communi; quo tempore, fateatur, neque Episcopum, neque illum Clericum in particulari esse illorum dominos, sed administratores tantum, dominio penes ipsam Ecclesiam, seu Communitatem remanente, ut fit adhuc modo in Monasteriis.

R. 2. Tametsi daremus gratis, has & alias similes auctoritates intelligendas esse de bonis Ecclesiasticis, etiam pro statu divisionis, non idè multum urgerent; possunt enim saltè pro magna parte rectè applicari ad sensum 4. conclusionis. Nam, posito quod Clerici teneantur ex præcepto impendere superflua in usus pios, sequitur, quod non quasi propria, sed ut communia sint dispensanda: quod non possint illa dare parentibus ad eos ditandos; quod non sint illorum domini, sed administratores, hoc sensu, quod non possint de illis pro libitu licè disponere: quo sensu divites seculares dicuntur etiam quandoque a SS. Patribus administratores tantum suorum bonorum & non domini, licet reverà sint domini: quod hæc superflua sint pauperum, quia ex præcepto illis debentur, licet non ex justitia: & sic de exteriori. Item attende inter bona Ecclesiastica computari etiam bona fabricæ & pauperum, ut dixi supra, quorum Clerici non sunt domini.

Ad Alexandrum III. qui floruit 12. sæc. Resp. ipsum loqui non de proventibus Beneficiorum, sed de bonis Ecclesie, seu Episcopatu peculiariter appropriatis: quæ Parisiensis Episcopi antecessor inconsulto Capitulo distraxerat: patet ex textu; sequitur enim: *Acceptimus autem, quod Prædecessor tuus graves donationes in rebus Episcopatus fecit in detrimentum Ecclesie, suis Canonibus inconsultis: unde, quia ista donationes hujusmodi de Jure non tenent, indulgemus tibi, ut liceat donationes hujusmodi tam à Clericis, quàm à Laicis, legitimè revocare.* Porro, si questio fuisset de proventibus Beneficij Episcopalis, impertinens fuisset consultatio Capituli ad legitimam, vel illegitimam illorum usum. Eadem solutio adhibenda est iis, quæ obijciuntur ex l. 2. Instit. tit. de rerum divis. §. nullius, & ex cap. Sine exceptione caus. 12. q. 2.

Quantum ad textum Tridentinum, & alios similes in Jure, important quidem, ut diximus, strictam obligationem ex lege Ecclesie, Religionis, & charitatis, non tamèn justitiæ, impendendi in usus pios proventus Ecclesiasticos. Ad S. Bernardum & alios sive antiquiores, sive recentiores, qui similibus loquendi modum usurparunt, præter responsiones jam datas, iterum respondeo, non intelligendos esse in rigore, sed secundum quamdam piam exaggerationem, seu ut dicitur Conciliaritè, non Theologicè. Hujus rei exempla partim reperitur in ipsis Patribus. Sic Aug. Sermon. 129. de Sæcularibus ait, illos aliena invadere, qui superflua non erogant pauperibus. Sic S. Basilius de iisdem Sæcularibus avaris, *Esurientis est, inquit, panis, quem tu retinetis: mudi est vestis, quam in arca custodis: discalceati est calcæus, qui apud te marcescit: egenis est argentum, quod in terra defossus possides: quare tot injuriis es hominibus, quot poteras opem conferre.* Item notissimum illud Ambrosii ad Sæculares: *Pasce fame morientem: si non pavisti, occidisti.* Hæc, inquam, & similia de divitiis Laicis, quæ tamen non idcirco admittunt dominium in sua superflua, nec asseritur obligatio ex justitia, sed tantum ex charitate illa effundendi in eleemosynas; quidni ergo & a fortiori eundem figuralem loquendi modum teneat potuerit adversus Ecclesiasticos divites, absque ulla eorum domini immutatione, eò quod strictiori titulo, quam seculares, licet tamèn non justitiæ, teneantur pauperibus succurrere? Insuper, si hujusmodi phrasæ in rigore & literalitè esse intelligendas, contentas, jam solis pauperibus, & nullis aliis usibus etiam piissimis impendi poterunt bona Ecclesiastica, cum de solis pauperibus hi textus loquantur: quod tamèn falsum est.

Ad S. Th. Resp. ipsum loco cit. non loqui de bonis Ecclesiasticis Papæ particularibus ex ejus Beneficio provenientibus, sed de bonis totius Ecclesie, quorum dicit Papam non sic esse dominum, quasi possit ea vendere absque Simonia; quod est impertinens ad nostram Questionem. Quantum ad verba Innoc. IV. non reperitur loc. cit. Steyartius verò, qui ea sibi obijcit, respondet, hunc Pontificum Theol. Billuart. Secunda secundæ.

ficem loqui de bonis Ecclesie specialitè assignatis. Ad SS. Raymundum & Antonium, fateatur, eos nobis adversari; sed iis præter auctoritates ex Jure oppositas S. Thomam, & plures alios graves auctores. Ad ultimum tandem R. bona Ecclesiastica vocari Res Dei, Bona Crucifisci, &c. quia propter Christum & in Dei cultum, ejusque Ministrorum sustentationem sunt donata: non autèm quod nullus præter Christum, aut Deum sit eorum Dominus: nisi forte sic intelligas, quod nullus sit eorum dominus sicut patrimonialium, quasi de illis æquè licè, ac de istis pro libitu possit disponere.

Similiter dicuntur Patrimonia & alimenta pauperum, quia ipsis debentur ex rigoroso præcepto Ecclesie, Religionis & charitatis, quamvis non justitiæ. Sic ab iisdem SS. Patribus superflua Laicorum pariter dicuntur quandoque Patrimonia pauperum, quamvis certo certius sit eis non deberi ex justitia, sed ex charitate tantum. Insuper hi & similes modi loquendi possunt rectè intelligi de bonis Ecclesiasticis, proût complectuntur non solum bona Clericorum, sed Fabricæ, & pauperum.

Ob. 2. cum Steyartio. Antè bonorum divisionem & Beneficiorum erectionem ita erat penes unanquamque Ecclesiam ditorum bonorum dominium, ut quæ essent congruæ sustentationi Episcopi & ministrorum superflua, ex obligatione justitiæ cederent in alias causas pias, quod a nemine hactenus negatum vidi; atqui ista bona per divisionem non mutarunt naturam, nec conditio pauperum, aut aliarum partium causarum facta est deterior: ergo. R.

1. N. Maj. quam, Steyartius dicit, se a nemine hactenus negatum vidisse; illam, inquam, nego cum Dom. Soto, Bannes, Valentia, Loreas, Maldero, quos citat & sequitur Sylvius, idque conformitèr principiis in 2. probatione positus, magisque patebit ex seq. obj. Interim dico, verisimiliter esse, Episcopos, qui horum bonorum erant administratores, ex charitate & Religione atque in bonum Fidelium exemplum aliquam portionem pauperibus distribuendam separasse: hæc autèm portionem, ab Episcopo, seu Presbyterorum orem semel designatam, & Clericis particularibus ad distribuendum commissam, tenebantur hi Clerici ex justitia eam huic usui applicare, ita quod, si in alterum usum distraherent, aut sibi retinerent, tamquam raptos rei alienæ censebantur, & erant restitutioni obnoxii. R. 2. Dato quod superflua bonorum Ecclesiasticorum, dum erant communia, ex justitia forent impendenda in causas pias; hoc ipso tamèn quo Ecclesia in eorum divisione assignavit unicuique suam partem, censetur piis causis sicut Clericis tribuisse, quod suum erat, & unicuique dividendum contulisse suæ partis dominium, quod antea erat penes totam communitatem; ita quod, sicut nunc pauperes non tenentur ex justitia subvenire Clericis ex superfluo suæ partis, ita nec Clerici pauperibus. Undè ad Min. D. ista bona per divisionem non mutarunt naturam physicè, C. moralitèr & quoad dominium, N. Nam antè divisionem nullus erant in particulari quoad dominium, sed omnium in communi: post divisionem verò, fatente ipso Steyartio, quisque Beneficiarius est dominus suæ partis; quod & alii adversarii plerumque concedunt, saltè pro parte necessaria congruæ sustentationi. Quod si idè forte facta sit deterior conditio pauperum & aliarum partium causarum, id est valde per accidens & contra intentionem Ecclesie, quæ per hanc divisionem e contra voluit providere bono communi, & pauperum conditionem facere meliorem, eis assignando portionem certam & independentem ab arbitrio quorundam Clericorum, qui jam tum suis rebus magis quam pauperum necessitatibus studebant.

Nec obstat huic solutioni, quod addit Steyartius, Ecclesiam non aliud, nec aliter Clericis dominium dedisse, quam quod & qualiter habebat antè divisionem. Resp. enim stando in eadem solutione, quod, licet id non poterint Ecclesie particulares, potuit tamen Ecclesia universalis, potuerunt SS. Pontifices ratione domini jurisdictionis; quod habent in omnia bona Ecclesiastica in ordine ad bonum commune. Et sanè, si id possit Resp. civilis erga bona civilia particularium, ut patet in præscriptione, quidni Resp. Ecclesiastica circa bona Ecclesiastica?

Obj. 3. Fideles tot bona Ecclesie donantur non pro solis ministris, etiam pro pauperibus, seu sub conditione, ut superflua saltè cederent pauperibus; atqui recipit aliquid non sibi solum, sed & aliis, seu sub conditione partem elargiendi aliis, non habet hujus partis dominium, aut non habet nisi vinculum, ita ut talibus dare teneatur ex justitia, & si non det, ad restitutionem teneatur: ergo. R. D. Maj. Fideles tot bona dederunt Ec-

clesie sub conditione sperata, & intenta, ut superflua cederent pauperibus, C. sub conditione expressa, & in pactum deducta, N. & ad hunc sensum, D. Mia. N. Conseq. Solutio patet ex 2. probat. conclusionis. Cui addo ex Sylvio, multas suppetere causas, cur Fideles Ecclesie, & Ecclesiasticis tot bona contulerint, etiamsi non intendere eos obligare ex iustitia ad faciendas elemosinas: nimirum 1. ut Clerici, a solitudine acquirendi temporalia liberati, & abundantè necessariis victui, & amictui instructi, soli Deo vacarent. 2. Ut haberent, quo Ecclesie ornatum promovere, & egentium necessitates ex charitate possent sublevare. 3. Ut a secularibus non contemnerentur propter inopiam: quamvis enim in Ecclesie primordiis oportuerit ipsius Ministros esse pauperes, ne Fidei introductio adscriberetur humanæ potentie, aut ne Gentiles existimarent Apostolos Fidem prædicare intuitu bonorum temporalium; postquam tamen Fides plantata est, & ejus veritas, virorumque Apostolicorum sinceritas comprobata, valde conveniens fuit, ut præcipui Ecclesie Ministri aliquam haberent temporalem auctoritatem & majestatem, & consequenter aliquam bonorum temporalium affluentiam; eò quod homines sensibilibus assueti faciliè contemnant, aut parum reverentur eos, qui humana potentia, seu auctoritate carent. Ità laudatus Auctor.

Inst. in Capitularibus Caroli Magni legitur hæc Formula: *Offero Deo atque dedico omnes res, quæ hac in cartula tenentur insertæ, pro remissione peccatorum meorum ac parentum ac filiorum, ad serviendum ex his Deo in Sacrificiis, Missarumque solemnibus, orationibus, luminariis, pauperum ac Clericorum alimoniis, & cæteris divinis cultibus, atque illius Ecclesie utilitatibus. Si quis autem eas in dæ quod fieri nullatenus credo) abstulerit, sub pena sacrilegii ex hoc Dominus Deo, cui eas offero atque dedico, districatissimas reddat rationes. Et in Conc. Aquisgr. 1. c. 16. dicitur: *Facultatibus suis sanctam locupletem fecerunt Ecclesiam (nempe fideles) ut ex his & militibus Christi alerentur, Ecclesie exornarentur, pauperes recrearentur.* R. 1. His auctoritatibus importari, quod ultra concedimus, nimirum intentionem & votum donatorum fuisse, ut hæc bona impenderentur in usus pios; & non evincit, hæc intentionem fuisse in pactum deductam & appositam tamquam conditionem, sine qua non. Neque refert, quod in Formula Carolina exprimat esse intentionem donantium, & ut donata serviant pauperum & fabricæ usibus: quia intentio expressa in contractu donationis non semper censetur deducta in pactum & opposita ut conditio sine qua non, sed aliquando simpliciter tantum contingit, ut innotescat donatario, eumque secundum ejus prudentiam dirigat in administratione rerum absolutè donatarum: hancque esse sensum Formulæ Carolinæ, inde patet, quod alioquin si bona sic donata expenderentur in usus pauperum tantum, seclusa fabrica, vel in usus fabricæ tantum, seclusis pauperibus, irrita foret donatio defectu conditionis, & esset obligatio restituendi, quod nullus admittit. R. 2. Has & similes auctoritates intelligi posse, non tantum de preventibus Beneficiorum usibus Clericorum deputatis, sed etiam de aliis bonis, sive Ecclesiarum fabricæ, sive pauperibus specialiter assignatis. Quandoque enim fideles sua bona distinguebant, quædam specialiter assignantes pro Clericis, quædam pro fabrica, quædam pro pauperibus; aut si conferent in globo, designatis tantum usibus intentis, ut in Formula Carolina, Ecclesia conformiter eorum intentioni quandoque cuique suam portionem specialiter assignabat: portiones autem, sic semel fabricæ & pauperibus specialiter assignatas, stricto jure in hos usus debere impendi nullus negat. Huic distinctioni fundamentum præbet S. Th. q. 185. & Quodlib. 6. citatis.*

Urbegis. B. Clemens 1. 2. Constit. c. 25. ad 29. monet, Episcopum, ut ex decimis & primitiis perceptis omnibus egentibus cum iustitia distribuat. Et l. 8. c. 30. ad 36. dicit, decimas offerri ad victum Clericorum, Virginum, Viduarum, & pauperum: ergo, Resp. 1. Constitutiones B. Clem. esse apocryphas & dubie fidei. Vide Natal. Alex. sæc. 1. R. 2. Ad. 1. locum ut ante, B. Clementem loqui, non solum de bonis ipsis Clericis collatis, sed etiam de iis, quæ in pauperum usum erat specialiter donata. Verba eius sunt: *Quæ secundum Dei mandatum tribuuntur, decimas dico & primitias, insinat Episcopus ut homo Dei: quæ causa pauperum sponte offeruntur, distribuatur decem in pupillos, in viduas, in afflictos, &c. Impertite igitur Episcopi cum iustitia omnibus egentibus.* Ad 2. locum R. B. Clementem referre Constitutionem S. Matthæi, quæ præcipitur, *ut omnes primitie offerantur Episcopo, & Presbyteris, & Diaconis ad eos alendos: omnis vero decima offeratur ad*

alendos reliquos Clericos, & Virgines, & Viduas, & pauperes. Juxta hanc itaque Constitutionem non tenebantur Episcopi, Sacerdotes, & Diaconi ex iustitia dare pauperibus superfluum de perceptis primitiis, sed tantum decimarum portionem. Dùm autem primitiæ desiderat solvi majoribus Clericis, aut fuerint insulsiçientes, inolevit hæc Constitutio, & decimæ ipsis ex iustitia solvantur, ut probatur alibi; de hisque teneri superflua dare pauperibus ex iustitia, nullatenus probatur.

Obj. 4. In Jure Clerici prohibentur testari de bonis Ecclesiasticis: item statuitur, quod, si emanent immobilia de fructibus Ecclesie, teneantur ea emere nomine Ecclesie, aut in Ecclesiam transferre: ergo non habent illorum dominium, aut saltè est vinculum. R. Equivolum esse vinculum quoad actus assignatos ex Ecclesie prohibitione, aut præcepto, sicut v. gr. dominium pupilli; non tamè quoad alios actus. Insuper dico, hæc Jura jam dudum contraria consuetudine, scientibus & non contradicentibus Superioribus, in Gallia, in Hispania, in Belgio, & in pluribus aliis Provinciis inolevisse.

APPENDIX

Ad præcedentem Articulum.

Petes 1. Utrum Clerici habentes propria possint vivere ex bonis Ecclesiasticis? R. affirmative: est communis contra Auctorem vite contemplat. qui olim credebatur D. Prosper; nunc verius quidam Julianus Pomerius V. sæculi. Item contra Dionysium Carthus. & patres modernos, qui Juliani sententiam his temporibus impetiverunt suscitavit.

Prob. 1. Ex Apost. 1. ad Cor. 9. ubi probat variis argumentis, ex Jure naturæ petitis, cum omnem, qui spirituum populo ministrat, jus habere secundum ordinationem Christi, ut de altari vivat, & carnalia metat, etiamsi alitè de possit vivere, ut ipse vivere poterat & reipsa vivebat: idque confirmat exemplo Ministrorum Templi Judaici, quibus, licet essent divites & haberent aliunde unde viverent, licitum erat tamèn de Sacrario edere. Hinc Innoc. III. in cap. Cum secundum 16. de præbendis & dignit. Extra. l. 3. tit. 5. ait: *Cum secundum Apostolum, qui altari servit, vivere debeat de Altari, et qui ad omnia eligitur, non debeat repelli a mercede; patet a simili, ut Clerici vivere debeant de patrimonio Christi, cujus obsequio deputantur: ubi nulla mentio indigentie, sed solum officium clericali ut titulus sufficiens stipendiis ad victum profertur. Et iterum clarior Conc. Agath. Can. 36. refertur Can. Clerici fin. caus. 1. q. 2. universaliter dicit: *Clerici etiam omnes, qui Ecclesie fideliter vigilanterque deserunt, stipendia sanctis laboribus debita, secundum servitii sui meritum vel ordinationem Canonum, a Sacerdotibus (id est, Episcopis) consequuntur.* Conf. Plus juris indubie circa bona Ecclesiastica tribuitur & tribuit Clericis Apostolus, quam cæteris fidelibus; atqui cæteri fideles jus habent ut de bonis Ecclesiasticis vivant, si sint pauperes: ergo jus Ministrorum ad casum paupertatis non restringitur.*

Prob. 2. Secundum Jura & D. Th. a. 6. & 7. q. cit. Clerici possunt habere propria, & ea suis parentibus tribuere, aut aliter de eis pro libitu disponere: ergo non teneantur ex eis vivere.

Prob. 3. S. Th. art. 7. cit. cum sibi objecisset 3. loco verba, quæ tribuuntur Hieron. quibus dicitur illos solos Clericos debere stipendiis Ecclesie sustentari, quibus parentum bona nulla suffragantur: qui autem bonis parentum, aut propriis opibus sustentari possunt, sacrilegium committere, si quod pauperum est, accipiant; Respondet restringendo hanc obligationem vivendi de patrimonialibus ad solum casum gravis necessitatis pauperum, & dicit: *In tali necessitate peccat Clericus, si velit de rebus Ecclesie vivere, dummodo habeat bona patrimonialia, de quibus vivere possit:* ergo extra casum gravis necessitatis non peccat.

Prob. 4. Juxta adversarios apud Steyartium Controv. 1. q. 4. in fine Aphorism. Clericus, qui habet summam capitalem, quam si vellet expendere, ex ea posset tota vita honestè sustentari, ad id non tenetur, ut bonis Ecclesiasticis parcat: item nec qui aliqua arte posset sibi decenter necessaria sustentationi acquirere, ut etiam patet ex ipso Apostolo: ergo nec qui habet preventum patrimonialia. Patet conseq. a paritate rationis, nec ullum argumentum potest proferri contra hunc ultimum casum quod non militet contra duos priores. Adde in confirmationem præxim communem piissimorum Ecclesiasticorum, imò totius Ec-

Ecclesie, quæ sæpè potentioribus potentiora confert Beneficia, & utrorumque bonorum, ac utriusque potentie conjunctione insignia percipit emolumenta: item nullum esse sufficiens fundamentum, tam grave onus imponendi Clericis.

Objicitur 1. Canon. *Ex his caus. 12. q. 1. ubi dicitur: Ex his autem (rebus Ecclesie) quibus indiget Episcopus, si tamen indiget, ad suas necessitates, & peregrinorum fratrum usus ipse percipiat, ut nihil ei possit omnino deesse. Lex enim Dei præcipit, ut qui altari deserunt, pascantur de ipso. Idem repetitur ex Concil. Antiocheno 3. Can. seq. Episcopus 23. vis est in his verbis, si tamen indiget. 2. Verba S. Hieron. ad Damasum Can. Clericos caus. 1. q. 2. quæ sibi supra objicit S. Th. Clericos autem illos, conventi, Ecclesie stipendiis sustentari, quibus parentum, & propinquorum nulla suffragantur bona: qui autem bonis parentum, & opibus suis sustentari possunt, si quoad pauperum est accipiant, sacrilegium profecto committunt, & per abusionem alium judicium sibi mandant, & bibunt. Quid simile habetur Canon. seqq. 7. 8. & 9. ex Auctore Vit. contemplat. 2. S. Aug. Ep. 50. ad Bonifacium suo, & omnium Ecclesie Ministrorum nomine dicit adversus Donatistas: *Quæ (bona Ecclesie) si pauperum compauperes sumus, & nostra sunt, & illorum. Si autem priorum, quæ nobis sufficiunt, possidemus, non sunt illa nostra, sed pauperum, quorum procuracionem quadammodo gerimus, non proprietatem nobis usurpacione damnabili vindicamus.* 4. Objicitur auctoritas Pseudo-Prosperti in Vit. contemplat. hoc est, Juliani Pomerii, Dionysii Carthus. & Gratiani sup. Can. Pastor caus. 1. q. 2. Item & Concil. Aquisgran. quod Juliani Pomerii sententia adoptat. 5. Arguitur ex Concil. Trid. sic: Juxta Trid. sess. 25. c. 1. de Reform. non licet Ecclesiasticis consanguineis, & familiaribus augere ex redditibus Ecclesiasticis: ergo neque ex propriis, dum interea Beneficiorum ex redditibus Ecclesie vivit, quia sic æquivalenter auget parentes ex redditibus Ecclesie, cum ex his fiat, ut de propriis parentes augere possit.*

Ad 1. respondet Pontas verbo Beneficior caus. 22. hæc verba, *si tamen indiget*, non solum referri ad hæc præcedentia: *Ex his, quibus indiget Episcopus*, sed etiam ad hæc sequentia: *Ad suas necessitates, & peregrinorum fratrum usus:* Quasi diceret: *Ex his, quibus indiget Episcopus, accipiat ad suas necessitates, & peregrinorum fratrum usus, si tamen ad hoc indiget.* Nec aliter, inquit clarissimus Auctor potest intelligi, siquidem Canon. 39. inter Apostolicos, ex quibus exceptus est, qui objicitur, habeat expressè Episcopum posse habere propria, & de eis pro libitu disponere. Respondet Steyartius cit. hunc Canonem respicere dumtaxat Episcopos, qui ultra veram indigentiam ex bonis Ecclesiasticis sumunt: in idem redit. Adde ego, Canones, qui dicuntur Apostolorum, esse apocryphos, nec esse tantæ auctoritatis in Ecclesia, ut probationibus nostris præponderent. Idem a fortiori dicendum de Canon. Episcopus, desumpto ex Conc. 3. Antiocheno, quod fuit Africanum. Aliam insuper solutionem generalem infra superaddam.

Ad 2. respondet Steyartius, hæc verba, quæ tribuuntur S. Hieron. non extare in ejus operibus, & conjicit esse alicujus posterioris, qui sapuit cum Juliano Pomerio. Ast cujusvis sint, R. cum S. Th. supra esse intelligenda pro casu gravis necessitatis. Quantum ad alios Canones ibidem laudatos dico, esse non D. Prosper, sed Juliani Pomerii, de cujus auctoritate nihil est quod laboremus. Ad 3. quod est Aug. Resp. Pontas, esse intelligendum sensu, quo S. Thomas intelligit S. Hieron. de casu gravis necessitatis. Insuper dico, S. August. illic referre, quid ipse, & alii sanctiores Episcopi facerent: plura autem faciebant, quæ non erant absolute necessitatis, ut vivere in communi, &c. Ad 4. Resp. auctoritatem Juliani Pomerii, Dionysii Carthusiani, & Gratiani levioris esse momenti, ut eam nostris probationibus, & pietissimorum, ac totius Ecclesie praxi, non dico præferamus, sed & æquemus. Adde, Julianum sano sensu a clarissimo Pontas explicari loc. cit. Dionysium fieri aperte, se bellum indicare omnibus Scholasticis; Gratianum sic obscure loqui ut vix intelligatur. Quantum verò ad Synodum Aquisgran. aperte nobis faver; dicit enim: *Eos, qui & suas, & Ecclesie habent facultates, & utilitatem Ecclesie... conferunt, posse accipere potum, & cibum, et partes elemosinarum in congregacione, & non plus: eos vero, qui propria non habent, posse accipere integrum victum, & vestitum, & partes elemosinarum.* In quarum regularum confirmacionem Synodus profert quædam sententias Juliani Pomerii, quem putabat D. Prosperum, sed quas non intelligit in sensu adversariorum, aut saltem eas in isto sensu non adoptat, cum sic intellectæ plus probarent, quam intendat Synodus.

Cæterum ad has omnes objectiones generatim unum

dico: Dato, aliquandiu, aut alicubi viginisse hanc praxim, ut Clerici divites non permitterentur vivere ex bonis Ecclesiasticis; jandiu illi derogatum est per contrariam praxim, passim apud timoratos receptissimam, & ab ipsa Ecclesia probatam. Item & sit altera generalis solutio. Ex Prospero Fagnano in caput *Si quis, de peculio Clerici* n. 14. & seqq. distingue triplicem Ecclesie statum, quoad presentem materiam. Primus est nascentis, & adolescentis Ecclesie, quando Apostoli, & ipsis vicini nulla habebant immobilia, sed solis oblationibus contenti eas possidebant in communi. Secundus, quo præter oblationes Ecclesia incipit habere immobilia, & hæc cum oblationibus in quatuor portiones distribuit, earum tamèn administratione penes Episcopum remanente. Hinc factum, ut Clerici, a priorum fervore deficientes, retentis bonis propriis, in communitates confluerent, ut illic ex bonis Ecclesiasticis viverent, & propriis parcerent, cum e contra de sua sorte securi per abundantiam Ecclesiasticorum, propria abdicare potius debuissent, aut Ecclesie consignare, exemplo suorum prædecessorum: in eam ergo defervescentiam, & relaxationem a vita communi insurrexerunt Patres 3. 4. & 5. sæculi, non quasi injustam ex retentione propriorum, sed ut scandalosam, ambitioni, avaritiæ, & cupiditati obsequentem, contra exempla Majorum. Postea verò, & est tertius status, unusquisque Clericus suæ portionis obtinuit possessionem, & administrationem, quam sensim, & citrà scandalum patrimonio junxit, nullo amplius reclamante. Tandem adde, hæc omnia argumenta pariter militare contra eum, qui habens summam capitalem, undè possit sustentari, viveret ex bonis Ecclesiasticis, quod tamèn est licitum juxta adversarios.

Ad 3. R. longè aliud esse ditare consanguineos ex bonis Ecclesiasticis, quod prohibet S. Synodus, & aliud vivere ex illis; in hoc enim casu bona Ecclesiastica impenduntur in usum, cui destinantur; in priore impenduntur in usum profanum, & prohibitum. Nec refert, quod inde parentibus obveniat utilitas, id enim est per accidens, quod lex non extenditur: sic v. gr. Titius accipiens Beneficium potest juxta adversarios bona sua relinquere, ex quo tamèn per accidens parentibus obvenit emolumentum.

Hanc Quæst. fusiùs tractatam vide apud Pontas verbo Beneficior cas. 22. cit. & apud Steyartium loc. cit. qui discutit eam problematicè.

Petes 2. Quæ censetur congrua Clerici sustentatio? R. Id admittere latitudinem, nec posse exactè definiti, sed remittendum judicio viri prudentis, ac pii, attente qualitate personæ; plus enim necessarium est debili, & infirmo, quam robusto: attenta qualitate Officii, & Beneficii; plus enim exigit conditio Episcopi, quam Decani, plus Condicio Decani, quam simplicis Canonici: attenta qualitate loci, quod enim vix sufficit in certis provinciis, superabundat in aliis. Item congrua sustentationis limites non excedunt modesta suppellex, libri ad erudicionem comparandam suo statui conformem, honesta convivia, moderata munera pro more patriæ inter consanguineos, & amicos; equus, non ad vagandum, sed ad necessaria itinera: hæc enim, & similia concurrunt ad decentiam status, & ad societatem vitæ.

Utrum verò habenda sit etiam ratio nobilitatis, non conveniunt Auctores: affirmat Navarrus cum multis; negant alii. Porro mihi certum videtur non licere Clerico ratione nobilitatis ex bonis Ecclesie pretiosam suppellectilem sibi comparare, multitudinem famulorum, eorumque, canum, &c. alere, magnificentiam in vestibus, in hortis, in ædificiis, &c. colere, more nobilitum; non enim bona Ecclesie ad pompam secularem, sed ad honestam Ministrorum ejus sustentationem destinata sunt. Unde turpiter errant, inquit noster Bannes, qui se propter multam suppellectilem, plurimamque elegantè vestitam familiam, multamque vasorum ex auro, et argento copiam, plus esse estimandos putant. Nihilominus condemnare non ausim Canonicum nobilem, qui suos parentes, aut amicos paulo latius exciperet, quam Canonicus Plebeius suos; id enim videtur exigere tum honestas, cum charitas. Idem die de aliquo alio simili; quod si non fieret, multum deprimeret conditionem nobilis.

Petes 3. Utrum in solo casu paupertatis liceat Clericis subvenire consanguineis ex bonis Ecclesiasticis? R. id eos etiam licite posse in duobus aliis casibus, 1. ut non indigeant, etsi non sint de facto pauperes. Ità S. Th. q. cit. a. 7. ad 2. 2. ut ipsis in Ecclesiastica dignitate constitutis non sint dedecori: (Q. 85. a. 7. ad 2.) quia in utroque casu non est dare ad superfluitatem, sed supplere defectum, & conservare decentiam status. Hinc non videtur dam-

damandus Beneficiatus, qui ex bonis Ecclesiasticis alit in studiis, aut in aliqua arte discenda suos nepotes, quibus ad hoc parentum mediocritas non sufficit. Ceterum summo per caveant Clerici, ne huiusmodi decentia status, aut conditionis parentum longius protendatur, quam ferat necessitas. Et illud Petri Blesensis Ep. 102. prae oculis habeant. Terret me B. Hieronymus dicens, quid multi, dum parentibus miserentur, animas suas perdunt. Et illud Ludolphi Carthusiani: Dum genitor rerum praecepsit semine Clerum, ad satanae votum successit turba nepotum. Vide Pontas verbo Beneficium cas. 14. & 15.

Petes 4. Utrum Beneficiarius non possit sibi reservare aliquid in futurum? R. Posse quaedam moderate reservare, ut obviatur infirmitati, bellorum incommodo, & similibus, si revera subsit eorum periculum, & non urgeat gravis necessitas pauperum.

ARTICULUS IV.

De Christi Domino.

Utrum Christus fuerit Rex temporalis totius mundi, aut alicujus saltem Provinciae, puta, Judaeae?

CERTUM est 1. Christum, qua Deum, fuisse & esse universorum Regem ac Dominum temporalem: & quia Christus simpliciter dicitur supponit pro persona Divina utrique naturae, & humanae unita, pari certitudine constat, Christum simpliciter dictum esse totius mundi Dominum & Regem. Certum est 2. Christum, qua hominem, esse omnium hominum Regem & Dominum spirituales, id est, in ordine ad salutem aeternam, quatenus in hunc finem regit & gubernat homines per fidem, gratiam, leges, & Sacramenta, vita punit, virtutes praemittit, quod maxime praestabit in ultimo iudicio, & deinceps. Certum est 3. Christum, qua hominem, potuisse esse Regem temporalem, non solum Judaeae, sed etiam totius mundi: sed dubitatur, an de facto fuerit, saltem quoad jus & dominium: conveniunt enim auctores, hujus juris & dominii usum & exercitium noluisse habere, cum vitam pauperem, & abjectam duxerit juxta illud Apostoli, cum esset dives, pro nobis egenus factus est.

Dico 1. Probabile est, Christum, qua hominem, fuisse Regem temporalem omnium quoad jus & potestatem regiam, non quidem jure hereditario (siquidem Maria non fuerit Regina, nec Joannes Rex, neque possit probari, Christum propinquiorum fuisse solio, quam alios ex familia David. Adde, quod tunc scriptum esset ablatum de hac familia, & ex Jerem. 22. nullus ex ea post Jeconiam sessurus erat jure hereditario super thronum David) sed ex commissione & institutione Patris Aeterni. Hanc sententiam tenent Bannes q. 4. de Dom. ad q. 62. D. Th. Patet ejus probabilitas ex argumentis proponendis adversis seq. conclusionem.

Dico 2. Communior sententia est, Christum, qua hominem, non fuisse Regem temporalem, sive totius mundi, sive alicujus provinciae, etiam quantum ad jus & regiam potestatem: potuisse tamen indirecte de omnibus temporalibus disponere. Ita Dom. Soto, Victoria, Bannes, Medina, Bellarm. Sylvius, & alii. Prob. ex Scripturis. Joann. 18. ubi Pilato interroganti Christum, an esset Rex Judaeorum, respondit Christus: Regnum meum non est de hoc mundo; si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderet Judaeis: nunc autem Regnum meum non est hinc.

Respondent Patroni adversae sententiae, Regnum Christi non esse de hoc mundo, hoc sensu quod non haberet, nec vellet habere usum potestatis regiae, sicut habent Reges hujus mundi, & hunc esse sensum responsionis Christi factae Pilato, & hunc esse sensum responsionis Christi factae Pilato; con autem, quod non haberet jus & potestatem regiam temporalem. Sed contra: interrogavit Pilatus Christum; hoc enim ipsum non habere compertum erat Pilato, cum videret, & sciret eum pauperem vitam agere. Interrogavit ergo de potestate ipsa, an scilicet eam haberet, qua posset contradicere Caesari: sensus autem respondentis idem fuit, qui & interrogantis. Verificatur adhuc magis haec interpretatio ex verbis ibidem sequentibus: (Lect. 6. in cap. 18. Joann.) cum enim ex 1. responsione Christi assumpsisset Pilatus: ergo Rex est tu? respondit Jesus: Tu dicis, quia Rex sum ego. Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati. Quibus verbis aperte significat Christus, suum Regnum

non esse temporale, sed omnino spirituale, utpote ad docendam veritatem.

Confirm. Haec 1. probatio. Quoties Christus dicitur Rex in Scripturis, semper, aut ferè semper additur aliquid, quo significatur ejus Regnum esse spirituale. Sic Zachar. 9. dicitur: Ecce Rex tuus venit tibi Justus & Salvator, ipse pauper, & ascendens super asinam: per quae verba Pauper, &c. significatur Regnum non esse temporale; & per haec: Justus & Salvator, significatur esse spirituale. Sic Isaia. 6. Super solium David, & super Regnum ejus sedebit in aeternum, ut confirmet, & corroboret illud amodo usque in sempiternum. Similiter Lucae 1. Dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus, & regnabit in domo Jacob in aeternum. Constat autem, Christum nunc non sedere, neque sessurum in aeternum super solium temporale Davidis, sed super solium spirituale, cujus Regnum temporale Davidis fuit figura. Sic Matth. 28. Data est mihi omnis potestas in caelo & in terra. Verba sequentia explicant, sermonem esse de potestate spirituali, cum subditur: Euntes ergo in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae, baptizantes eos, &c. & sic alibi. Adde verba Apost. 2. Cor. 8. Qui cum dives esset, pro nobis egenus factus est: & illud Christi Matth. 8. Vulpes foetas habent, & volucres caeli nidus: Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet. Quae verba rectè verificari non possunt, si Christus haberet omnium rerum dominium, & possessionem, quamvis illa uti noluerit. Item Lucae 12. cum quidam peteret a Christo: Dic fratri meo, ut dividat mecum hereditatem: Respondit Christus: Homo, quis me constituit Judicem super vos? Ubi advertendum, non dixisse: nolo de vobis judicare; sed quis me constituit Judicem super vos? quasi negans se constitutum esse Judicem super secularia, ut & seculariter judicaret.

Prob. 2. ex Patribus. Hieron. l. 4. sup. c. 22. Jerem. explicans illud: Scribe virum istum sterilem, scilicet Jeconiam, &c. dicit, quod Regnum Christi non erat terrenum, & breve, sed perpetuum, & caeleste. Ambros. l. 3. in Luc. cap. penult. negat, Regnum Christi fuisse temporale, quale fuit David, vel Roboam, vel Jeconiaz. Aug. Tract. 115. in Joann. explicans illud Ps. 139. Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus; dicit: Sion illa, & mons ille non sunt de hoc mundo: Quod est Regnum ejus, nisi credentes in eum? Et iterum: Dabo tibi gentes hereditatem tuam, quam possideas ad eorum salutem, & quae tibi fructificet spiritualia. Et 17. de Civit. c. 7. dicit: Qui populus (scilicet Judaicus) Regnum fuerat amissurus, Christo Jesu Domino nostro, non carnaliter, sed spiritualiter regnatorum. Bernardus serm. 4. sup. Missus, dicit: Quero, quomodo dederit ei Deus sedem David Patris sui, cum ipse in Jerusalem non regnaverit? sed novimus quandam aliam Jerusalem ab ea, quae nunc est, in qua regnavit David, significatam, multo ista nobiliorem, multo ditioiorem. Hanc igitur, puto, hic fuisse significatam; isto videlicet usu loquendi, quo saepe reperis in Scripturis significans pro significato. Et postea: Dabit ergo ei Dominus Deus sedem Patris sui non typicam, sed veram; non temporalem, sed aeternam; non terrenam, sed caelestem. D. Th. lect. 6. in c. 18. Joann. ad illa verba: Regnum meum non est de hoc mundo: dicit Ita responsionem suam temperavit, ut nec manifestè confiteretur, se esse Regem; cum Rex non esset eo modo, quo Pilatus intelligebat; nec negare, cum spiritualiter esset Rex Regum: dicit ergo: Tu dicis, quod Rex sum ego, scilicet carnaliter, secundum quem modum Rex non sum; sed alio modo Rex sum ego. Modum autem, & rationem Regni sui ostendit dicens: Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati. Idem in catena aurea ad eadem verba. Et 3. p. q. 31. a. 2. ad 3. & q. 36. a. 2. ad 3. de diabolo, & Herode dicit, quod uterque Regni sui successorem timebat, diabolus caelestem, Herodes terrenum: superflue tamen; quia Christus non venerat Regnum in terra habere.

Prob. ratione. Potestas regia temporalis non erat conveniens fini Incarnationis: ergo eam non assumpsit Christus. Patet conseq. Quia Christus assumpsit humanitatem iis conditionibus, affectam, quae fini Incarnationis convenirent, aut saltem ei non disconvenirent. Prob. Ant. Christus venit, ut nos salvaret; viamque salutis nos doceret verbo & exemplo pro contemptum mundanae gloriae, & omnium rerum terrenarum; atqui huic fini non conveniebat, ut patet, Regia potestas, etiam secluso usu: ergo. Confirm. Christus non verbo, & exemplo docuit viam salutis, nequim necessarium, sed etiam perfectam.

seipsum enim totius perfectionis exemplum proposuit: unde de illo dictum est Act. 1. Caput facere & docere; atqui perfecta paupertas non consistit in abdicatione usus rerum temporalium, saltem non in ea sola (huic enim usum habent Religiosi, qui tamen profiterentur paupertatem perfectam) sed maxime in abdicatione juris & dominii. Unde ipse Christus dixit: si vis perfectus esse, vende omnia, quae habes, & sequere me: ergo tale dominium non habuit Christus.

Prob. 2. pars conclusionis. Qui habet directè potestatem supremam & efficacem in finem, habet utique indirectè in ea, quae finem vel promovere, vel impedire possunt; alioquin potestas ejus non foret suprema & efficax; atqui Christus habet directè supremam & efficacem potestatem in finem ultimum, salutem scilicet spirituales; & hunc finem temporalia quandoque vel promovere, vel impedire possunt: ergo habet indirectè potestatem in illa, de iisque potest disponere.

Solvuntur objectiones contra 1. partem Conclusionis secundae.

Obj. 1. Plura Scripturae loca, quibus dicitur, Christum esse constitutum Regem universorum, sessurum super solium David, omnem potestatem ei datam esse, & similia: ergo. R. 1. Haec & similia loca intelligenda esse de Regno Christi spirituali in universam Ecclesiam, ut patet ex dictis in 1. probatione. 2. Quaedam intelligi posse de Dominio indirecto, ut explicavimus in probatione secundae patris. 3. Nihil vetare, quin intelligantur de Christo simpliciter dicto, quatenus niamus supponit pro Persona divina, utriusque naturae divinae & humanae unita, ut dictum est in notaminibus.

Repones: Quoties nomen Regis in Scripturis tribuitur homini, accipitur pro Rege temporali: ergo. R. Non mirum; quia solus Christus fuit Rex spiritualis.

Obj. 2. D. Bernardus l. 3. de consider. ad Eugenium Papam dicit illi: Dispensatio tibi credita est, non data possessio, non tu ille, de quo ait Propheta: Et erit omnis terra possessio ejus: Christus hic est, qui sibi possessionem vendicat & jure creationis, & merito Redemptionis, & domi Patris: ergo. R. Haec verba esse intelligenda de Regno Christi spirituali & aeterno: loquitur enim Bernardus de illo Regum, cujus dispensatio credita est Summo Pontifici: istud autem Regnum est spirituale, non temporale. Hoc potè spirituale Regnum licet ab Incarnatione habuerit Christum; ejus tamen manifestationem & plenam exercitium acquisivit & meruit per obedientiam, mortem, & passionem.

Obj. 3. Plura ex D. Th. l. 3. de Regim. Principum, ubi inter alia discretè assertit S. Doctor, Christum fuisse Dominum temporalem Orbis & Augustum gessisse vires ejus: ergo. R. Solos duos priores libros de Regim. Principum esse D. Thomae, tertium verò & quartum esse adlaterinos, & ipsi falso suppositos; quod patet maxime ex eo, quod in iis referantur facta quae non nisi post mortem S. Doctoris acciderunt: sic c. 20. libri 3. refertur electio Rodulphi Imperatoris sub finem anni 1274. ejus mors 1291. Electio Adolphi Nassavie Comitum anno 1292. hujus occisio ab Alberto Austriae Duce 1298. obiit autem S. Doctor sub initium anni 1274. Quae clarè evincunt, hos libros ipsi esse falso suppositos. Adde diversitatem styli & alia apud Ehard Supposito. Praed. qui illos tribuit Bartholomaeo Luensis S. Thomae discipulo. Vide si lubet, laud. Auct. ad ann. 1274. pag. 336. & seqq. & ad ann. 1321. pag. 543.

Inst. S. Th. 3. p. q. 59. a. 4. docens, judicariam potestatem in omnes res humanas convenire Christo, etiam qua homini, dicit ad 1. Judicaria potestas consequitur Regiam dignitatem: Christus autem, quamvis esset Rex constitutus a Deo, non tamen in terris vivens terrenum

Regnum temporaliter administrare voluit: unde ipse dicit Joann. 28. Regnum meum non est de hoc mundo. Similiter etiam judicariam potestatem exercere voluit super res temporales, qui venerat homines ad divina transferre. Quibus verbis aperte docet S. Doctor, Christum qua hominem revera habuisse Regiam potestatem, sicut & judicariam, in omnia temporalia, sed neutra uti voluisse: ergo. R. Fateor, hac auctoritate non leviter innui alteram sententiam, quam dixi probabilem: quia tamen haec, quam tuemur, aperte docet S. Doctor locis in probationibus laudatis, videntur haec praesentia verba intelligenda esse de potestate Regia & judicaria indirecta in temporalia; quatenus, cum Christus haberet summam & superexcellentem potestatem tum Regiam, tum Judicariam, in ordine ad ultimum finem, scilicet salutem spirituales aeternam, potuisset etiam de omnibus temporalibus disponere & judicare, si id ad hunc finem expedisset; & hanc esse S. Doctoris mentem, apparet ex 3. ratione in corpore articuli, ubi probat judicariam potestatem convenire Christo in res humanas; quia res humanae ordinantur in finem beatitudinis, quae est salus aeterna, ad quam homines admittuntur, vel repelluntur judicio Christi; quae ratio non probat nisi indirectam potestatem in temporalia.

Obj. 4. Tribuenda est humanitati Christi omnis potestas & perfectio possibilis, quae vel non involvit contradictionem, aut fini Incarnationis non repugnat; atqui potestas regia temporalis erat possibilis Christo, nullam involvit contradictionem, ut patet, & fini Incarnationis non repugnat, siquidem hoc ipso quo ea non fuit usus, fuerit verè pauper, & paupertatis praebuerit exemplum: ergo. R. N. Min. & ejus probationem; & dico, quod non fuisset verè & perfecte pauper, neque perfecte paupertatis praebuerit exemplum, si Regiam potestatem & dominium directum in temporalia habuisset, quamvis de facto eo non fuisset usus, ut probavimus supra.

Obj. 5. Secundum D. Th. 2. q. 40. art. 2. ad 3. (quod etiam committit admittunt Theologi & Philosophi) omnis persona, vel potentia, vel ars, aut virtus, ad quam pertinet finis, habet disponere de iis, quae sunt ad finem; atqui temporalia sunt propter spiritualia tamquam propter finem: ordo enim naturae est propter ordinem gratiae, ut docet idem S. D. loco 3. partis supra cit. ergo cum Christus habuerit summam potestatem in ordine ad finem spirituales, potuit de omnibus temporalibus disponere indirectè, C. directè, N. nec plus probant praemissa, sicut ars equestris versatur circa finem artis frænofactiva, & tamen non est formaliter frænofactiva, sed habet tantum hanc artem dirigere ad suum finem. Similiter Christus, licet sit Rex spiritualis, non habet ideò formaliter & directè jus ad gubernationem saecularem tamquam ad officium sibi proportionatum & proprium, instar aliorum Principum terrae, sed homines dumtaxat dirigendi ad finem beatitudinis, praedicatione, exemplo, redemptione, minando penas, proponendo praemia, &c. Quia tamen haec potestas Christi ad finem spirituales erat supereminens & efficacis, extendebatur indirectè ad temporalia, quatenus hunc finem vel promovere, vel impedire poterant. Et sic fuit potestas formaliter spiritualis; extensivè autem tantum & indirectè temporalis, non formaliter, qualis est potestas Regum hujus mundi.

Ex dictis inferunt, iisdemque ferè momentis probant non pauci, nec ignobiles Theologi, Summ. Pontificem Christi in terris Vicarium habere etiam potestatem indirectè in temporalia Regum: hanc verò sententiam e contra non solum explodunt Galli ut infundatam, sed ut absonam & erroneam cachinis aut censuris excipiunt. De quo vide Bellar. de Summo Pontifice, B. n. q. 4. de Dom. dub. 2. ad q. 62. D. Th. Sylvius hic q. 66. art. 1. q. 5. pro parte affirmativa; Auctores Gallos pro negativa.

DISSERTATIO IV.

DE MODIS ACQUIRENDI DOMINIUM.

RES respectivè ad Dominium sunt duplici generis. Quaedam sunt appropriate, id est, habent proprium & determinatum dominium: quaedam sunt communes aut quasi communes, quae scilicet nullum ex se censentur habere dominium, ut sunt ferae in sylvis, pisces in flu-

viis, &c. Et juxta hanc rerum diversitatem diversi sunt modi eorum dominia acquirendi. Harum, quae sunt appropriate, acquiruntur dominium voluntate domini, vel auctoritate Legis: illarum, quae nullius sunt, acquiruntur dominium prima occupatione. Sed antequam de his